

tribuentes, animam peccato infici negantes LABATISTÆ a Joanne Labadie anno 1630. Deum decipi et decipere posse blasphemantes. PRÆADAMITÆ auctore Isaaco Pererio an. 1633. fingentes Adamum primum parentem fuisse tantum judæorum, antequam illum jam extitisse homines alios, quos Præadamitas vocant: QUAKERI vel TREMULANTES an. 1636. in fictis Ecclasiis toto corpore contremiscentes; respuentes verbum Dei scriptum; abnegantes Trinitatem, corporum resurrectionem, cælum et infernum: COCCEJANI an. 1660. a Joanne Coccejo Theologiæ Typicæ et Propheticæ auctore: BENEDICTUS SPINOSA an. 1670. Atheismum professus, dum Deum esse substantiam extensam et cogitantem, omnia entia in mundo hujus substantiæ modificationes, religiones pacandis solum civibus inventas esse, aliaque absurda scriberet; cui adjungi debent Julius-Cæsar Vaninus, Thomas Hobbesius, Herbertus de Cherbury, alique similis aut peioris furfuris Atheistæ. His addi possunt FANATICI in Anglia an. 1680. ad id a Deo se vocatos effutientes, ut Monarchas omnes, quos carnales vocabant, everterent: item sub finem sæculi CLAUDIUS, negans immediatam Spiritus Sancti in animam hominis operationem; et BALTHASAR BECKERUS omnem Spirituum in corpora actionem inficiatus.

## SECULUM XVIII.

QUESNELLISTÆ a Paschasio Quesnello, APPELLANTES ab interjecta ad Concilium Œcumenicum appellatione dicti, damnatis an 1713. Per Bullam *Unigenitus* centum et uni propositionibus suffragati. Harum et quidem 43 primarum Argumentum universim versatur circa gratiæ naturam et distributionem; mediarum num. 28. circa virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, Timorem, vitiaque his opposita; postremarum 30. circa Ecclesiam, variamque ejus disciplinam: Verba dabimus quæst. seq.

Labente hoc Seculo, præter auctas Pietistarum Sectas (ad quarum classem etiam ZINZENDORFIANI ab auctore vel HERNHUTTIANI a loco dicti referri possunt) pœnitentiæ hostem se professus est FRIDERICUS LEENHOFFIUS; Arianismum tutati sunt WILHELMUS WHISTONUS, et SAMUEL CLARKIUS; Libertinismum professi sunt TOLLANDUS et COLLINUS; denique Manichæismum PETRUS BÆLIUS, alique alios errores renovarunt.

Invaluerunt item LIBERI MURARI, præter indicia graviorum causarum violenta, vel ob solam Arcani disciplinam nulla ratione violabilem satis suspecti, atque hinc tum a Clemente XI, et Benedicto XIV. damnati, tum a pluribus Summis Principibus proscripti: DEISTÆ, unum fidei suæ articulum de uno Deo pro libitu colendo et adorando professi, reliquis vel contemptis vel in ordinem Adiphororum relegatis: INDIFFERENTISTÆ ab indifferenti in religionem animo, opinantes nihil referre, quam quis religionem amplectatur, modo hæc Christiana sit, et cum diversæ religionis asseclis pacem is colat, sibi et reipublicæ proficiuus: NATURALISTÆ vel PHILOSOPHI naturales sic dicti, quod unam naturam vel rationem sequantur, revelationis inimici, religionem ipsi arbitrio et genio suo accommodatam consuantes, quique heroico nomine Fortes Spiritus cum Deistis et Indifferentistis dici jam amant.

Hujus doctrinæ ac Materialismi scripta plurima vulgata hactenus vidimus sub variis titulis vel Litterarum, vel Trægœdiarum, vel historiarum aut fabularum, vel operum philosophicorum, aut Dissertationum de Lege, Revela-

tione, Natura aliisque objectis; quorum hallucinationes, sophismata, fallacias et insanias, maximam partem, suis in Litteris Criticis Abbas Gauchat, aliaque Virorum Religiosorum Societas ostendere cœperunt et refutare etiamnum pergunt.

251 *Observa.* Ne, pro aliorum more, Schismata etiam singillatim subjungeremus hæresibus, hactenus tractatorum ratio fecit. In Conciliorum enim historia, tum de Schismate Occidentalium, et præsertim Istriensium, tum de magno Orientalium Schismate actum fuit: quas vero Papalis Electio scissions in Ecclesia fecit, Antipapis ubique adnotatis; in Pontificum syllabo indicavimus: denique in hoc ipso hæreticorum Catalogo, Schismata in hæreses mox transgressa retulimus; uti Novatiani, Donatistæ, Anglicani, alique testantur: unde non alia forsitan superant, quam particularia, leviora, et pauciora. Cujusmodi sunt in sec. 1. *Antiochenum* circa necessitatem circumcidendi novos Christianos; *Corinthiacum* duplex, aliud a Paulo, aliud, a Clemente sopitum: sec. 4. *Meletianum* a Meletio Ep. Lycopolitano, ob Idololatriam per Alexandrinos Patres deposito, Episcopalia nihilominus munia continuante, et communionem sibi singularem formante: *Luciferianum*, auctore Lucifero Ep. Calaritano se segregante, quod Ecclesia Episcopis, qui Ariani communicarant, pœnitentibus communionem daret: sec. 5. *Ephesinum* inter Cyrillum Alexandrinum et Joannem Antiochenum: *Alexandrinum* inter Timotheum Elurum et Timotheum Solophaciolum: *Antiochenum* inter Stephanum juniorem et Petrum Mongum: *Constantinopolitanum* inter Acacium Constantinopolitanum et Simplicium successoresque Pontifices ob Joannem Talaia a Sede Alexandrina ejectum: sec. 7. *Alexandrinum* inter Melchitas et Jacobitas etc. Sed hæc innuisse sufficiat.

## APPENDIX II.

## DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

332. *NOTA.* Ad Catalogum Hæresum adjicimus mantissam *propositionum damnatarum*, quæ tametsi nec hæreticæ omnes, nec censuris aliis Theologicis certis singulæ ac determinatis in individuo notatæ, sed universim et in globo, ut dicimus, confixæ ac proscriptæ sint, omnes tamen ceu syrtes ac scopuli tum minime ignorari, tum quam maxime in universa Theologia, tam speculativa quam practica et morali, declinari ac vitari debent. Ejus generis sunt imprimis 43 Joannis Wicleff, 30 Joannis Huss, et 41 Martini Lutheri articuli; quos tamen hic recensere supersedemus; cum in actis Concilii Constantiensis, in quo priorum, et Tridentini, in quo posterioris errores damnati sunt, abunde referantur. Deinde huc pertinent *Michaelis Baii*, *Michaelis Molinos*, *Francisci de Salignac Fenelon*, *Paschasii Quesnelli*, aliorumque etiam innominatorum Auctorum propositiones a pluribus Summis Pontificibus damnatæ; quas priusquam ad verbum referamus, brevem hic earum synopsis præmittimus, intersertis nonnullis propositionibus aliis, singillatim ac seorsim proscriptis, idcirco hic collocandis, ne, cum alibi locum non inveniunt, eum nullibi habeant.

<i>Damnavit.</i>	<i>Die.</i>	<i>Anno.</i>	<i>Propositiones.</i>
Urbanus VIII. . . . .	6. Mart.	1644.	79. <i>Baii.</i> . . . . .
Paulus V. . . . .	14. Jun.	1605.	1. . . . .
Innocentius X. . . . .	29. Jan.	1647.	1. . . . .
Alexander VII. . . . .	30. Jan.	1659.	6. . . . . A.
Alexander VII. . . . .	24. Sept.	1663.	28. . . . . B.
Alexander VII. . . . .	18. Mart.	1666.	17. . . . . C.
Innocent. XI. . . . .	2. Mart.	1679.	63. . . . . A.
Innocent. XI. . . . .	23. Nov.	1679.	2. . . . . B.
Innocent. XI. . . . .	18. Nov.	1682.	1. . . . . C.
Innocent. XI. . . . .	19. Nov.	1687.	68. <i>Mich. Molinos</i> . . . . .
Alexander VIII. . . . .	24. Aug.	1690.	2. . . . . A.
Alexander VIII. . . . .	7. Dec.	1690.	31. . . . . B.
Innocent. XII. . . . .	12. Mart.	1699.	23. <i>Francisci Fenelon, vulgo Cameracenses.</i> . . . . .
Clemens XI. . . . .	8. Sept.	1713.	101. <i>Quesnelli.</i> . . . . .
Benedictus XIV. . . . .	12. Nov.	1732.	5. . . . . (1)

Has referemus digestas in certos materiaram, ad quas pertinent, titulos, secundum ordinem quo illas materias D. Thomas in Summa sua Theologica tractat. Literæ A, B, C, per compendium designabunt propositiones, quibus subjunguntur, pertinere ad primam, vel secundam, vel tertiam classem propositionum ab illo Pontifice damnatorum. Numerus cuique propositioni post auctoris sui aut Pontificis, a quo damnata est, nomen in fine additus indicat quota illa in sua classe sit.

## PARS I. SUMMÆ THEOLOGICÆ.

## DE DEO.

Deus nobis donat omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis alteri donat villam vel librum. *Innoc. XI. B. 1.*

Deus subjicit nobis omnipotentiam suam. *Innoc. XI. B. 2.*

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. *Ques. 30.*

## DE CREATIONE HOMINIS.

DE FINE HOMINIS. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret. *Bai. 23.*

DE CONDITIONE PRIMI HOMINIS. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium naturæ divinæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. *Bai. 21.*

A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum ut, per dona naturæ

(1) His addere visum est eas quas in Bulla *Auctorem Fidei* Pius VI, affixa singulis nota, proscripsit Pistoriensis concilii Propositiones. Discriminantur his litteris; (P. P.)

superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus et ad Dei filium adoptatus. *Bai. 24.*

Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. *Bai. 26.*

Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. *Bai. 33.*

Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. *Bai. 78.*

Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali. *Bai. 79.*

P. P. 16. Doctrina Synodi de statu felicitis innocentiae, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interioriorem, cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam, — Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium; — Falsa, alias damnata in Baio et Quesnello, erronea, favens hæresi Pelagianæ.

P. P. 17. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis;* — Quatenus, sub nomine Apostoli subdole allegato, insinuat mortem, quæ in præsentis statu inflicta est velut justa pœna peccati, per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio; — Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

## PRIMA SECUNDÆ.

## DE ACTIBUS HUMANIS.

DE VOLUNTARIO. In omnibus actionibus suis peccator servit cupiditati dominantis. *Bai. 40.*

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem reipsa non excusat a peccato formali. *Alex. VIII. B. 7.*

DE LIBERTATE. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. *Bai. 30.*

Is libertatis modus, qui est a necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. *Bai. 49.*

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. *Bai. 66.*

Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit. *Bai. 67.*

In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, quæ voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali et voluntate Adami peccantis. *Alex VIII. B. 1.*

DE MORALITATE. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur. *Bai. 62.*

Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. *Innoc. XI. A. 8.*

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. *Alex. VIII. B. 7.*

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus. *Ques. 44.*

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. *Quesn. 45.*

DE CONSCIENTIA. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. *Alex. VII. A. 27.*

Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. *Innoc. XI. A. 3.*

Ad dubia, quæ accidunt, rectene procedamus an non, non est necesse reflectere. *Molin. 11.*

Non licet sequi opinionem probabilem vel inter probabiles probabilissimam. *Alex. VIII. B. 3.*

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. *Alex. VIII. B. 30.*

DE PASSIONIBUS. Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia, ad expurgationem et mortificationem omnium passionum, ita ut nihil amplius sentiatur, nihil, nihil plane: neque percipiat quis inquietudinem ullam, perinde ut corpus quoddam mortuum, neque anima se amplius in diversa transferri sinat. *Molin. 55.*

Duæ leges et duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant quamdiu amor proprius durat. Unde, ubi hic expurgatus et mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non amplius ibi sunt duæ illæ leges neque duæ voluntates; nec ultra fit ulla subreptio aut motus improvisus, neque aliquid porro sentitur, nec unum quidem veniale peccatum. *Molin. 56.*

Pervenitur etiam, mediante via interna, ad mortem sensuum; imo signum, quod quis in nihilo illo consistat, id est, mortuus sit morte mystica, est, si sensus externi non magis jam repræsentent res sensibiles, quam si non existerent, quandoquidem non efficiant ut intellectus se iis applicet. *Molin. 63.*

In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. .... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione; nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris. *Camérac. 14.*

DE VIRTUTIBUS. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci a sensibus: perdere oportet virtutes. *Molin. 31.*

In occasione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum; sed tenere se in supradicto amore et resignatione. *Molin. 37.*

Crux voluntaria mortificationum gravis est et sine fructu, ideoque omitenda. *Molin. 38.*

Opera sanctissima et auctoritates, quas sancti subierunt, non sufficiunt ad animam vel uno assultu liberandam. *Molin. 39.*

Sancti mystici excluderunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum. *Camérac. 21.*

## DE PECCATIS ET VITIIS.

DE ESSENTIA PECCATI. Ad rationem et designationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. *Bai. 49.*

Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit. *Bai. 47.*

Ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando rationis usum consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet. *Bai. 49.*

Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rationi; Theologicum vero mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque æterna pœna dignum. *Alex. VIII. A. 2.*

DE REATU PECCATI. In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus sive obligatio ad pœnam. *Bai. 56.*

DE PœNA PECCATI. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job et Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. *Bai. 72.*

Nunquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Quesn. 70.*

DE PECCATO VENIALI. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. *Bai. 20.*

DE PECCATO ORIGINALI. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. *Bai. 48.*

Omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. *Bai. 52.*

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. *Bai. 53.*

Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. *Bai. 73.*

P. P. 26. Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem Limbi puerorum nomine Fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur; — Perinde ac si hoc ipso, qui pœnam ignis remouent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et pœnæ inter

regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani, — Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

DE CONUPISCENTIA. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitatus patitur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces. Bai. 50.*

Concupiscentia sive lex membrorum et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. *Bai. 51.*

Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi. *Bai. 74.*

Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiiati prohibiti: *Non concupisces.* Unde homo eos sentiens et non consentiens transgreditur præceptum: *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur. *Bai. 75.*

DE OCCASIONE PECCANDI. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. *Innoc. XI. A. 62.*

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spiritali vel temporali nostro vel proximi. *Innoc. XI. A. 63.*

DE COOPERATIONE AD PECCANDUM. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. *Innoc. XI. A. 51.*

Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi; et non posse reflectere ad proprios defectus est donum Dei. *Molin. 10.*

DE LUXURIA. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. *Alex. VII. B. 40.*

Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur. *Innoc. XI. A. 48.*

Mollities jure naturæ prohibita non est: unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali. *Innoc. XI. A. 49.*

## DE LEGIBUS.

DE LEGE DIVINA. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. *Bai. 54.*

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Quesn. 71.*

DE POTESTATE LEGISLAT. HUMANA. Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum, et, si is idoneus non fuerit, eundem animam cum suo Directore adeat. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixerunt neque dicere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, habetque jus anima, ut eligat, quem maluerit. *Molin. 66.*

Dicere opus esse ut internum manifestetur tribunali externo Superiorum

et esse peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta; quia Ecclesia non judicat de occultis; atque animabus suis damnum adferunt fraudibus hisce et fictionibus. *Molin. 67.*

In mundo non est facultas nec jurisdictio ad mandandum, ut manifestentur litteræ Directoris circa internum animæ; et idcirco monitos esse oportet, esse hunc assaultum quemdam Satanæ. *Molin. 68.*

DE ACCEPTATIONE LEGIS. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam. *Alex. VII. B. 28.*

DE JURISDICTIONE SACRA. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus secularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu et Quadragesima; quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum secularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset. *Alex. VII. A. 6.*

DE PRIVILEGIIS. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis quæ sunt expresse revocata per Tridentinum. *Alex. VII. C. 36.*

## DE PRÆCEPTIS ECCLESIE.

DE DIEBUS FESTIS. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, deposito scandalo, si absit contemptus. *Innoc. XI. A. 52.*

DE AUDIENDA MISSA. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit. *Innoc. XI. A. 53.*

DE JEJUNIO. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto. *Alex. VII. B. 23.*

In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. *Alex. VII. C. 29.*

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio. *Alex. VII. C. 30.*

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. *Alex. VII. C. 31.*

Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget. *Alex. VII. C. 32.*

DE CONFESSIONE ANNUA. Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur et docentur. *Alex. VII. A. 1.*

Talem legem in hac materia neque Episcopi neque Concilia Provincialia vel Nationum sancire, neque delinquentes aliquibus pœnis aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt. *Alex. VII. A. 2.*

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. *Alex. VII. B. 13.*

Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. *Alex. VII. B. 14.*

DE COMMUNIÓNE PASCHALI. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. *Innoc. XI. A. 53.*

## DE GRATIA.

DE GRATIÆ ESSENTIA. Dona concessa homini integro et Angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum Scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur; quæ per Jesum male merentibus et indignis conferuntur; ideo neque merita neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. *Bat. 9.*

Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis et facientis quod jubet. *Quesn. 11.*

Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. *Quesn. 19.*

Vera gratiæ idea est quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt. *Quesn. 20.*

Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem. *Quesn. 26.*

Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. *Quesn. 27.*

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. *Quesn. 28.*

P. P. 21. Propositio quæ asserit, *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: Gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominantanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati; et constituit filios Dei; — Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. 6. cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur, — Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.*

P. P. 22. Propositio, quæ innuit Fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt; — Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem. — Ex S. Aug. de Dono persever., c. 16., n. 41. — Suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnello damnata, erronea.

P. P. 23. Doctrina, Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; — Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua libe-

ratur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata, — Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominantanti cupiditati; — Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baïo damnatum, art. 40.

P. P. 24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem, nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum remanserunt velut extrema lineamenta et reliquæ imaginis Dei; — Ex S. Aug. de Spir. et Litt., c. 28. — Perinde ac si inter dilectionem divinam quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam quæ damnatur, non daretur dilectio humana licita, quæ non reprehenditur. — Ex S. Aug. Serm. 349. de Charit. Edit. Maur. — Falsa, alias damnata.

DE GRATIA PRIMI HOMINIS, EJUSQUE DIFFERENTIA A GRATIA CHRISTIANA. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana. *Quesn. 34.*

Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturæ sanæ et integræ. *Quesn. 35.*

Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. *Quesn. 36.*

Gratia Adami sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata: gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens et digna Filio Dei. *Quesn. 37.*

DE DISCRIMINE INTER V. L. ET N. L. QUOAD GRATIAM. Discrimen inter fœdus Judaicum et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. *Quesn. 6.*

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis. *Quesn. 7.*

P. P. 19. Item (Propositio) quæ subjungit, hominem sub lege cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasisit; superadditque, legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris; — Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vilare, qui pius est. — Ex S. Cæsario, Serm. 73. in append. — S. Aug. Serm. 723, Edit. Maur. — Ex S. Aug. de Nat. et Grat. c. 43. — De Grat. et lib. arb., c. 16. — Enar. In Psalm. 56. n. 1. — Falsa, scandalosa, impia, in Baïo damnata.

P. P. 20. Qua parte datur intelligi, hominem, sub lege, sine gratia, potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis, — Ex Concil.